



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fvldensivm Antiquitatvm Libri IIII.**

**Brouwer, Christoph**

**Antverpiæ, 1612**

Cap. XI. Continuatio monasteriorum, & veterum ecclesiarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39712**

## CAPVT XI.

*Continuatio monasteriorum & veterum  
Ecclesiarum.*

**M**AGNAE nauis tabulas non omnes, sed enatantes, quâ licuit arripimus, relictis in medio quoque fragmentis nonnullis, haud gnari penitus, quem locum in hac olim compage tenuerint. Cernuntur diuersis in oppidis aut vicis Ecclesiarum collegiales quatuor.

I. *S. Crucis* Hunfeldiæ ex Parthenone virginum à Carolo Magno.

II. *S. Cecilia* in Ratisdorf; olim à monachis habitata; Caroli Magni ætate, cum marcâ eiusdem nominis à Comitibus Reggone, Hattone, Brunichone, S. Bonifacij memorię condita.

III. *S. Petri* in Salis monasterio, quod olim Salchenmunster; apud riuum Kincigam, amcænâ in valle natum, ex antiquissimis Ecclesiarum fundis. Sed duobus iam vix par alendis sacerdotibus.

IV. *S. Bonifacij* in Borstlâ, veteres Brustloho regione Thuringiæ, quod ab agrestium cæde *Baurenschlag*, gerere nomen volunt. Hunc locum multa suadent vt impensius illustremus. In Werinharij sæpè nobis laudati Præsulis actis, hæc leguntur: *Fecit Ecclesiam in Borstlâ miro ornatu lapidum, & omnis decoris, famosissimam porticibus inferioribus & superioribus, pavimento stratum & cancellis decenter ornatam. Addidit Ecclesie prædia, & alia utensilia, quæ inibi Deo seruiantibus sufficerent, vt iure ipsa Ecclesia dici possit filia Regis, non habens maculam neque rugam. Vnum equidem, vel primariæ notæ monumentum huic etiam Ecclesie non ereptum gaudebam, ab anno MCXXXI, quo Henricus Abbas eius nominis primus, ferè cladibus & bellorum iniuriis obrutum Brustloh, ita, vt incolæ demigrationem, & solitudinem loco minarentur, erexit; & amplâ donatione noualium ac fundorum, memoriam cladis aboleuit. Incoluisse verò tunc cœnobitas, satis coarguit donatio, quâ, Henricus ex Præposito Brustlohensi se factum Abbatem, & hac piâ largitione, fratrum inibi*

*Henricus Ab-  
bas Brustlohi  
reparator.*

*\* Is diuersus ab eo, qui anno MCC. XLVI. electus Rex Roman. etiam Raspo dicitur.* Deo militantium, scribit potissimum seruire voluisse commodis. Auctorem verò damni prodit Henricum Thuringiæ Comitem Luduici filium; nempe, cui à condito Raspebergo castello, Raspe cognomentum obuenerit.

At clero tamen hîc sacra procurante, vltimum libertatis & iuris sui Ecclesia discrimen adiit, factione Dynastarum, qui propinquo in solo Driuordia & Spangebergæ rerum potiebantur. Nam in oppido vicinisque pagis summum imperium vitæ necisque, & tota iurisdictio vsque ad id tempus, penes Brustlohæ clerum extitit: quæ anno Domini MCCCXXVII. demum inclinare cœpit. Porrò Driuordiæ stirpis opes Spangebergæ vectigalibus præcipuè nitebantur, quæ ciuitas cum Burgo suo, & Heydâ monasterio propè à Fuldâ fluuio, in Ecclesiæ Fuldensis est clientelâ, & ab Hasslo adhuc feudi nomine teneatur. Spangebergam eâ ætate occupabat Fridericus Driuordius, cui patruus erat Hermannus Driuordiæ dominus apud Werram amnem; vbi & domicilium habebat. Hic cum Friderico nepote contractâ simultate, nihil, vt assolent irati propinqui, iniuriarum ei largiri, sed vi solidâ fortunas Friderici oppugnare aggreditur. Spangebergium namque castrum antè expectatum inuadens, defensorem loci, omnesque clientes loco depulso, cum arce in potestatem redigit. Fridericus patrum cupidinem & iram iuxta auersatus, grassari sibi persuadet eadem viâ. Itaque arcem Driuordiam aggressus, eam captam, vt & oppidum ditionemque vniuersam patrum, sub Imperium suum subiungit. Quæ res, cum eos in diuturnâ magnaque concertatione armorum inter se haberet, denique Brustlohensis Ecclesia ab Hermannii filio in seffa, & instar munitionis, ad defendendam Driuordiæ iniuriam, bello sedes electa. Postea loci, Spangebergæ castro & dominio ad Henricum Hassiæ Landgrauium emptione translatis, Fridericus memor damniorum, quæ ex Brustlohensi munitione acceperat, veteris monasterij tures, ne inde olim sibi noceretur, demolitus est, anno Domini MCCCXXXIV. Sed pœna sacrilegi ausus à S. Bonifacio creditur bienio post largè repetita, cum Friderici Misniæ marchionis celebri expeditione, quâ ille multorum Principum copiis adunatis Erfordiam obsedit, etiam Driuordia cinctâ & expugnata fuit:

&amp;

*Heyda monasterium olim*

*Driuordia, hodie Tre. furs.*

anno 1336.

& Fridericus grauiter secundum faciem sagittâ ictus, in Winefridi oppidum concessit, illic inglorius vitam ærumnis deformem finiturus. Atq. ab huius Thuringici belli euentu, Brustloh, vt & alia nonnulla oppida, ex vnius principatus formâ, in triarchiam incidit. Quæ quidem de Brustloho, quò ne obliuione perirent, vel methodi dispendio à tenebris vindicare voluimus.

Præter has Ecclesias, notant antiquæ scripturæ, celebrem stetit non longè à Rheno *Vvingereshusen*, cuius terminum describunt, *vbi Nitigis riuus deorsum fluit versus Hamersteinium castrum, & sursum in montem Zuderlinten: quam anno MXVI. Indiçt. IV. ab Erkanbaldo Moguntino Archiepiscopo in honorem Domini nostri IESV Christi, & S. Mariæ Virginis, SS. Apostolorum Petri & Pauli, ac S. Bonifacij, Alexandri, Processi & Martiniani, &c. constat dedicatam.* Creinfeldiæ quoque ad caput Luthræ riui in Buchoniæ finibus, magnæ dotis Ecclesiam lego ab eodem Erkenbaldo, anno MXX. Indiçt. II. memoriæ S. Vdalrici consecratam.

Lectoris autem otio patientiaque nimium quàm abutar, si enumerem illustria quæque monasteria, quæ fœdere sanctissimo huic congregationi iuncta, orationum & piorum operum utili florere commercio; in itâ societate, quâ eandem utilitatem ac remunerationem esse decreuerunt vniuscuiusque, & vniuersorum. Cuius quidem confociationis vsitata vinculum non ad eiusdem modò familiæ, sed diuersæ, exteræ, propinquæ, consortium iuxtâ transire placuit. Atque hinc Mendicantium, quos nuncupant, (qui Ecclesiæ Christi conseruandæ iuuantæque deuoti, quas non molestias & ærumnas in omni vitâ suscipiunt?) ceu præcellentium membrorum ad se rapere sancta studia, & incredibiles labores, curæ etiam fuit. Quippe S. Dominici, Francisci, Heremitarum S. Augustini, & Carmelitarum vniuersa corpora, iustis in itis piisque fœderibus, ad sua comoda maiores traduxere. Quo gratiore & æquiore à posteris animo religiosissimi Abbatis Balthasari, primorumque consilium erit prosequendum, qui exulceratis hisce & sanè quàm afflictis temporibus, quò deriuatâ omnem in partem utilitate, corporis sui languescens valetudinem retineret asserentque,

T 3 non

*Vvingereshusen ecclesia.*

*Creinfeldia.*

*Enlâis monasterij societatis bonorum operum cum aliis diuersissimis.*

*Cum Mendicantibus.*

*Societatis IESV opera quacumque huc merito reuocantur.*

non dubitarunt huius minimæ nostræ Societatis IESV quodcumque operæ ac compendij, ad iuuentutis liberalem educationem, & subditorum suorum salutem conuertere; utique cum spe illius immortalis auctarij, quod ipse, posterique & totius Congregationis Senatus olim in cælis auferet. Neque huius rei exemplum in maioribus desiderares. Nam veteres cenobitas ad expedienda foris Ecclesiæ suæ negotia, & procurationem salutis alienæ sustinendam, auorum item memoriâ clericos apud se habuisse, cum alia litterarum monumenta planum faciunt, tum illud, quod hodieque inferioris ordinis cenobitæ horum in locum submissi, capellanorum titulo, & habitum & nomen adscriptitij cleri tueri velint.

Non hîc me contineo, quin formulam fœderis peruetustam in Gallætiâ apud Hispanos, nisi quid me fallit, à Fuldensibus icti, subiiciam:

*Orationum  
communicatio  
in Gallætiâ  
apud  
S. Iacobum.  
\* forè cum  
Henrico III.  
Abbate qui  
Cöpostellam  
peregrè adijt.  
Lib. 4. Chr.*

Ego Ruothardus gratiâ Dei procurator Fuldensis, inter ceteros Oratores, istum ad locum perueni, commune consortium fraternitatis & suscepi, & meâ meorumque fratrum ex parte, vobis idem seruari feci. Vt autem hæc dilectionis confirmatio redintegretur, mittimus hunc librum, ut in nostri memoriâ super S. Iacobi corpus in eo Missa cotidie celebretur. Obsecramus autem in Domino, ut vestra in nostris, ita nostri memoria frequentetur in orationibus vestris. Fratrum nomina viuorum, Karitati vestræ subscribimus; & vestræ Congregationis vocabula nobis rescribi petimus. Valete.

*Eggehardi  
presbyteri  
votum.*

Ceterum huius quàm olim expetita fructuosissimi fœderis iura, vnus Eggehardi presbyteri exemplo, quod suggerunt antiquæ scedæ, monstrabo: Is de Præpositurâ S. Xisti in Holtzkirchâ, auditâ famâ summè bonæ religionis fratrum de monasterio S. Bonifacij, quod situm est Fulde, in honore S. Saluatoris: & quia diuine seruitutis & sacrosanctæ conuersationis seruator attrahit quoque fideles, ad participandum orationi & fraternitati eorum, cogitabat intra se, quomodo posset particeps fieri societatis & fraternitatis eorum, ut per illorum intercessionem peruenire queat ad regna, vbi vera sunt gaudia. Cumque magno desiderio aestuaret intrinsecus, misit Deus in cor eius, ut ex terrenis & perituris rebus æternam sibi societatem præpararet in cælis. Volens ergo æternam sibi memoriâ cum fratribus Fuldensis monasterij præparare, & cum eis æterni regni sedes possidere,

dere, prædium quoddam in Hettenefelt à se pretio comparatum, & ab iis, quibus propriâ hereditate obuenerat, coemptum obtulit S. Bonifacio in Fuldensi monasterio, fratribus ibidem Domino deuotè seruentibus, vt in perpetuo eorum esset obsequio; obsecrans & postulans obnixius, vt sui memores essent in diuino ministerio; & vt animam ipsius Deo commendantes, eius fruerentur beneficio. Facta est autem hæc traditio anno Dominicæ Incarn. MCXIX. regnante Lothario Imperatore inuictissimo, mense Iunio.

CAPVT XII.

*Ecclesiarum quarundam illustrium Dedicationses.*

QVIA adhæc antiquarum aliquot Ecclesiarum, quæ quidem superant in Buchoniâ, quo tempore à quibus ex consecrata sunt, vestigia indagauimus; ea ne euanescant, & vetustate obruantur funditus, ad posterorum quoque memoriam litteris nostris propaganda duximus: vtrisque benè merendo gratiam aliquam ineundi spe; à viuentibus quidem, vt grati memoresque noscitant origines populi locique sui, tot retrò sæculorum ætatibus tam præclaris olim religionibus occupati; à posteris, vt vbi memoriter meminerint, à quibus primùm Christi fide doctrinaque imbuendi in Ecclesiam collecti sint, ab horum auctoritate & iudicio sciant, iustè nunquam se posse discrepare.

ANNO DCCCXII. dedicata est Ecclesia in Slitisse, rogatu Baugolphi\* à Richolpho venerabili Archiepiscopo Moguntiacensis Ecclesiæ XII. Kalend. Octob. in honorem S. Margarete virginis.

Slitissa Ecclesia.  
\* Abbatis.  
Richolphi  
Mog. Archiepisc. D. T.

Quo & eodem anno legitur Richolphus Bleistadiensis monasterij templum dedicasse, octo circiter passuum millibus trans Rhenum Moguntia distans. Quòd autem Baugolphi hoc factum rogatu, veteres meminerunt, id indicio nobis est fuisse exiisse pridem potestate, vt interea loci non prorsus ageret exors publicorum munerum. Slitissa verò oppidum, è quo cognominis stirps gentilitia, est Fuldensis Ecclesiæ clientelare, intra mon-

Slitz vulgè.

veri  
inquitate  
e nses.

IV  
3